

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Petri Dasypodij Dictionarivm Latino-Germanicvm Et Vice  
Versa Germanico-Latinum**

**Dasypodius, Petrus**

**Argentorati, [circa 1630]**

Petrus Dasypodius ae quo lectori salutem

[urn:nbn:de:bsz:31-107333](#)

P E T R V S D A S Y P O D I V S  
Æ Q V O L E C T O R I  
S A L V T E M.

V A N D O Q V I D E M R E S I T A  
postulare videtur, ac dudum ego *τίνω λεοντίων*  
*ινδονησίων*, rogo, Lector, ne graveris eandem  
causam tertio me nunc audire declaman-  
tem: vel isto nomine, quod in tuam rem  
nonnihil id, ut spero futurum sit. Superiore  
anno Dictionarium hoc Latino-germani-  
cum opere prius tumultuaria per Typographum in publicum  
emissum, non modò castigatius, sed etiam locupletius, ut ite-  
rum excuderetur, sedulò quod in nobis fuit, curavimus, ratî  
quibus prior & informis ille fœtus non displicuisset, fieri non  
posse, quin idem nitidior paulò, majoreq; cura formatus, ma-  
gis esset placiturus. Nec opinionem nostram fefellit eventus.  
Etenim intra breve tempus admodum, exemplaria quotquot  
excusa fuerant, non solum distraxit Calcographus, verùm ve-  
niebant etiam quotidiè qui plura flagitarent. Quo factum  
est, ut celerius quam destinaverat, hanc tertiam editionem  
adornare sit coactus, me quoque interim, haud segniter alla-  
borante, ut quicquid vel amicorum adnotaverat diligentia,  
vel lectio nobis autorum suppeditaverat, adjiceretur. Est  
enim ejusmodi liber argumenti, cui subinde citra modum pe-  
nè fieri possit accessio. Dum igitur inter manus versatur opus,  
& jam ad umbilicum festinat, ecce tibi suo strepitu, quasi So-  
rices, quidam se produnt. Qui sive quæstus majoris faciendi  
gratia, sive quod animo parum & quo ferunt alienam felicitatem,  
non veriti sunt falcem in alienam, quod aiunt, mittere  
messum. Quid enim dissimilem id, quod sentio? Posteaquam  
semel atque adeò primus ego humilem quidem hanc, sed neu-  
tiquam, reor, inutilem sucepit provinciam: sic meam jure  
quodam factam esse censeo, ut nemo deinceps temerè me vi-  
vo, & inconsulto in eam grassari debeat. Non quod obstaro  
velim aliis, quicunque iteris instructi felicius, in hoc genero

: ( ij

A D L E C T O R E M.

melius quid præstare possint: quò minus tentent, quod ego facere sum ausus. Imò hortor eruditiores, contendat aliquis nostrum laborem supervacaneum, & ociosum reddere. Sed meo nomine cum aliorum incommodo suum ad questum neminem puto bonum virum abuti decet. Multò minus emblemata quædam ex nescio quibus petita libris nostro passim inserere, vel ordinem denique pervertere, qui doctis merito probatur, quoq; nos non temerè sumus usi. Propterea quod dum primæ positionis vocabulo composita simul, & ab eo deductitia subjiciuntur: facili puer opera totam ipsius progeniem & cognitionem videt, ac memoria citius complectitur. Id quod non minus alii, quam nos in pueris instituendis, quotidie re ipsa experimur. Iam quæ causa præcipue cùm me, tum viros quosdār̄ doctos, juventutis in literis proiectum juvare gnaviter studentes, permoverit, ut id operis primum conscriberetur, testati sumus pridem. Et nihil obscurè nimis, qui linguam latinam vel mediocriter callent, intelligunt, cuius monetæ vocabula nos ~~exponit~~ congererimus. Cur igitur suaves isti homines dicitant, authores me suppilasle prærancidos illos: ad quorum nomen protinus omnes docti naufragant: quousque jam annos complures à Scholis prorsus exulasse manifestò constat? Quam declarant egregiè, cum ista iactant, nihil se neque cerebri, neque frontis habere penitus. Est & Typographo nostro non levis ab illis injurya illata, viro certè si nihil aliud sit, tamen hoc nomine bene de universa juventute Germanica merito: quod suis penè solus consiliis & sumptibus effecit, ut exiguo sàne pretio nostris nunc fruantur laboribus, quicunque volunt, ac se per illos juvari posse sentiunt. Sed ille suum jus persequetur propediem, facileq; dubio procul obtinebit Privilegio munitus. Ad aliud venio, quod quoniam ad plures pertinet, adeoque ad juventutem, cuius studiis promovendis noster omnis desudat labor, haud abs re gravissimum censebitur, id verò tale est. Cum superioribus æditionibus nonnihil accesserit, tametsi fortasse non ad multum est, tamen studiosi quicquid est, quia ad linguae latine scriptores facilius intelligendos sibi commodare vident, in lucro ponent, id inquam totum, quò minus ad quemquam pervenire potuisse, istorum conatus avertere studuit. Nam nostram æditionem quamlibet elegantem, castigatam, & locu-

A D L E C T O R E M.

& locupletatam cum illorum scilicet putidam & mendosam,  
licet minoris tamen vendibilem habere potuissent, pauci  
r̄:ελιοφέρι, quod plerique pretium potius quam utilitatem li-  
brorum stulte spectare solemus, emissent. Quæres, utcon-  
que sentiant alii, me quidem unicè permovit, cum alia dissim-  
ilarum fortassis, ac silentio transmittere potuisssem, ne homi-  
num istorum studia te latere sinerem Lector. Præstat enim  
in tempore nosse, quo cavere scias melius illos, à quibus ali-  
quod incommode habeas expectandum. Quare boni con-  
fusas etiam quod fecimus, nostrisque laboribus pro tuo can-  
dore, quemadmodum haec tenus, favere ne desistas. Excus-  
ant alii, versos, aut perversos Calepinos, Typographo pro-  
pter amorem singularem cum in me, tum in alios studiosos  
Dictionarium nostrum donavimus. Ex illius igitur unius  
officina, si forte opus habueris, aut usui fore speras ex-

emplar compares rogo. Vale, Argentorati  
octavo Kalend. Martias, Anno

M. D. XXXVII.



):( iii